

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0439

0437

0443

0433

0448

0428

0488

0388

0538

0338

0938

Ende

Anfang

425

multa; non fuisset autem possibile ibi transire tempore advectionis illorum montium et collium et aggerum; illo enim accurrit arena tamquam procella in aqua super terram et aerem replet, nec potest homo contra niti, ut supra dixi. Cottidie pereunt homines et bestiae per desertum involuti procellis arenarum, sicut in mari obruti procellis aquarum. Sic exercitus Cambysis arena austro mota extinctus fuit, ut dicitur in Spec. Nat. c. 58. In magno stabamus periculo, nam arena contra nos defluxit et nullus alium nec videre nec audire potuit et vix cum difficultate poterat caput suae bestiae semicocatis oculis videre, erat enim aer arena plenus et super terram currebat sicut rapidissimus fluvius et timore grandi quilibet angebatur, ne forte bestia sua tramite perdito alia loca intraret et de societate veniret, quia, ut saepe dixi, nullus poterat circumspicere, nam oculi erant nobis pleni pulveribus, os similiter, cappa mea nigra ita erat arena plena, quod nigredo non apparuit. Tandem autem circa meridiem cessavit tempestas et de isto (b) torrente in alium ascendimus per arenosos tumores et acutos, qui erat latus et magnus. Et fuit delectabilis ascensus per torrentem illum. Calinus autem convocatis omnibus ad se dixit: ecce, domini peregrini, optio datur vobis: si placet vobis abbreviare viam vestram et cum quiete sine tempestatibus tribus diebus procedere, ascendamus torrentem illum, verum tamen nullas reperiemus paludes aut cisternas in isto torrente, de quibus nos et bestiae nostrae bibamus et jam de facto aquae deficiunt de utribus. Si autem placet ire pro aqua habenda, oportet nos transcendere torrentem illum et in alium descendere et ibi forte cisternam reperiemus aquosam; scio quidem, ibi esse cisternam, sed an nunc habeat aquam, nescio. Si habet aquas, timeo eam valiatam Arabibus et nobis aquam denegari ab eis et cum hoc tribulari. Si non habet aquas, prolongamus sine profectu et utilitate viam pro multo spatio. Facite et consultite, quid placet, intrabo vobiscum utrumque periculum. Ad hoc breviter respondimus, quod potius eligamus ab Arabibus vexari et exactionari, quam siti mori et ariditate cruciari. Speramus enim, quod recipient panes a nobis et argentum et dent nobis aquam. Sic ergo a torrente illo ascendimus et in alto ad aquam.

